

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

18 April 2016

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. The Latin Apocryphon of Jamnes and Mambres (Pharaoh's magicians in Exodus)

Refertur quod post mortem Iamnis magi frater illius Mambres aperuit libros magicos fratris sui Iamnis, et faecit nigromantiam, eduxitque ab inferis idolum fratris sui. Quo facto respondit ei anima Iamnis dicens: "Ego, frater mi, non iniuste mortuus sum, sed uere iuste. Est enim aduersum me iudicium Dei, quoniam sapientior eram omnium sapientium magorum, et restiti duobus fratribus Moysi et Aaron, qui fecerunt signa et prodigia magna. Propter hoc igitur mortuus sum et deductus sum de medio ad inferos, ubi est combustio magna et lacus perditionis unde non est ascensus. Et nunc, frater mi Mambre, adtende tibi in uita tua ut benefacias filiis tuis et amicis. Apud inferos enim nichil est boni nisi tristitia et tenebre, et postquam mortuus fueris et ueneris ad inferos, inter mortuos erit abitatio tua in terra, lata cubitis duobus et longa cubitis quattuor."

2. From a Christmas Sermon by Vincent Ferrer (1350–1419)

Dico primo quod ista benedicta natiuitas fuit antiquitus per sanctas personas ardentem desiderata. Et ut melius istam conclusionem intelligatis, audite parabolam: Noueritis quod fuit quedam magna et nobilis ciuitas optime populata, que fuit ab inimicis crudeliter obsessa impugnantibus eam omni genere armorum, in tantum quod iam eis deficiebant cibaria, tantum durauit obsidio. Nec inimici uolebant eos recipere ad uitam nec misericordiam facere aliquam; immo occidebant eos statim. Sciens autem hoc rex et dominus ciuitatis secreta misit nuncios et litteras ciuitati, eis intimando quod ipse ueniret ad eos personaliter et liberaret eos cum esset potens. De quo ciues fuerunt multum gauisi et ardentem quotidie expectabant eius aduentum. Recte ita fuit de isto mundo. Ciuitas ista magna et nobilis fuit et est natura humana. O et quis posset numerare quot ciuitates fuerunt et habitatores in ea ab Adam usque ad natiuitatem Christi, cum transierunt (secundum aliquos doctores) ultra quinque milia annorum? Que fuit obsessa quotidie a crudelibus inimicis, scilicet infinitis demonibus impugnantibus eam diuersis tentationibus.

3. The Opening of the *Ovidius Moralizatus*

Incipit liber primus Metamorphoseos Ouidii Moralizatae. Ouidius in primo libro Metamorphoseos praemisso prologo primo tractat mundi creationem secundum opinionem Anaxagorae. Postea quomodo Prometheus de limo terrae fecit unum hominem in similitudinem ac effigiem moderantum cuncta deorum. Vnde textus,

“Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit coelumque videre
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.”

Hinc de quattuor aetatibus saeculi, et quattuor temporibus anni, et de vitiis subintranibus. His ita praemissis tractat quomodo gigantes affectauerunt regnum coeleste. Et ut ad coelum possint attingere, congeruerunt et aggregauerunt montes super montes, et ita exaltauerunt habitationem suam quod quasi ad sidera pertinebant. Tunc summus deorum Iuppiter hoc videns, fulmine de coelo misso, montes illos subuertit et corpora gigantum subitus oppressit, et terram eorum sanguine humectauit. (Reuera tales gigantes sunt hodie tyranni diuites et auari quibus non sufficit esse in statu suo.)

4. From an Epitome of Bede's *Historia Ecclesiastica*

Britannia insula habet in longitudine octingenta miliaria, in latitudine ducenta miliaria. In ista insula habentur quinque gentes: Angli, Britoni, Waloni, Scithi et Picti. Britones primi possessores huius insule fuerunt, qui uenientes de Armenia in primis incoluerunt australem partem huius insule. Contigit etiam tunc temporis Pictos uenire de Scithia cum paucis longis nauibus et, circumagente flatu uentorum, extra omnes fines Britannię Ybernię septentrionales oras intrasse. Ad hanc ergo Picti peruenientes petierunt in ea sibi quoque sedes et habitationem dari. Responderunt Scotti quia non ambos caperet eos insula. "Sed possumus," inquit, "salubre uobis dare consilium. Nouimus," inquit, "insulam aliam non procul a nostra contra ortum solis, quam sepe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si uultis, habitabilem uobis facere ualetis; et, si quis uobis restiterit, nobis auxiliariis utimini." Itaque petentes Brytanniam Picti habitare per septentrionales insule ceperunt partes.